



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

LXXV. Adolphvs III. LIV. Arch. XXXVIII. Elector.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Coloniensi equidem subditos, sed parùm fideles sibi, rogavit palàm, quot proditores Christum Servatorem vendiderint? respondentibus singulis: proditor is unus fuit Iscariotes. Tum verò Philippus: *me verò vendunt proditores multi*, atque hoc dicto perfida multorum dispulit consortia. Nihilominus, cùm inter Senatores numerarentur, qui cives oneribus multis gravâssent, & tardè admodum imposita ipsi exsequerentur mandata, ob has aliasque non leves causas Procerum varii capite plexi, reliquis eum timorem incusserunt, ut alieno, quàm suo damno sapere mauerint. Annis 7. Electorem timuerunt Colonienses; an. 1516. inter varia luctus & lætitiæ testimonia publica sepeliêrunt.

## LXXIV. HERMANNVS V. LIII. ARCH.

## XXXVII. ELECTOR.

**H**ermannus V. Comes de Wied, Elector simul & Episcopus Paderbornensis constitutus, opus bene cœptum in fine corrumpit: ab anno enim 1530. pravis libertinorum consiliis seductus, haud obscurè cœpit favores prodere Luthero & sociis: Argentorato enim Boñam vocâsse fertur Bucerum, ex Saxonia verò Melancktonem, quorum librum, Hermanni nomine editum, confutârunt Coloniae Scriptores. Hermannus tamen spre- tis Catholicorum consiliis & libris Kempenæ, Andernaci alibi- que locorum nova placita spargi permisit, aut turpiùs manda- vit, ex pastore factus lupus. Igitur à Romano Pontifice Pau- lo III. & Imperatore Carolo in summas redactus angustias, Se- deque sua pulsus, an. 1547. elapso exinde lustro unico in Co- mitatu Wiedano an. 1552. est extinctus.

## LXXV. ADOLPHVS III. LIV. ARCH.

## XXXVIII. ELECTOR.

**A**dolphus Comes de Schauenburg Hermanno V. Adjutor junctus, & ipso Sede amoto Archipræsul consecratus, providè contrariam Antecessori iniit viam, sparsa doctri-

næ

nae novae femina in tempore suffocanda esse probè gnarus : unde è Coloniae ditionibus migrare jussi Heterodoxi , agerrimè obtemperârunt : Adolphus verò ad nutum Romani Pontificis & Caroli Cæsaris intentus , inter Concilii Tridentini Patres dixit sententiam ; 9. annorum Archiepiscopus , multis Catholicorum encomiis exornatus vivus & mortuus 1556.

## LXXVI. ANTONIVS LV. ARCH.

## XXXIX. ELECTOR.

**A**Ntonius Comes de Schauenburg, Adolphi III. frater, ob fratris & sua merita insignia in Caput Coloniae supremum electus , plura desideravit agere , quàm egit morte præventus immatura an. Sedis jam altero : unde habet distichon :

Successit fratri paucis Antonius annis,  
Cum vita, haud virtus destituere virum.

## LXXVII. IOANNES GEBHARDVS LVI. ARCH.

## XL. ELECTOR.

**G**ebhardus Comes Mansfeldius vix electus est Archipræsul , mox morbo prostratus diuturno , cœpit mortem meditari vix 4. annorum Elector , mortuus an. 1562.

## LXXVIII. FRIDERICVS IV. LVII. ARCH.

## XLI. ELECTOR.

**F**Riderico Comiti de Wied , cum non minùs quàm Gebhardo , perpetui morbi incubuissent , honorificum Electoratus munus , & ponderosum onus in Successorem liberè transtulit an. Sedis 5. vel 6. servata sibi in annos futuros non magnâ auri summâ , quam tamen etiam mors brevè secuta invidere est visa an. 1567.